MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80391-5

AUTHOR:

HART, ADOLF HERMANN

TITLE:

OBSERVATIONES CRITICAE IN APOLLONIUM RHODIUM.

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1863]

Master Negative #

91-80391-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hart, Adolf Hermann, 1842-
Observationes criticae in Apollonium Rhodium. Dissertatio ... quam ... defendet auctor Adolphus Hermannus Hart ... Berolini, Schade, [1863].
38 p. 20½ cm.

Thesis, Berlin, 1863.

Vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-30-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

OBSERVATIONES CRITICAE
IN
APOLLONIUM RHODIUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXV. M. JULII A. MDCCCLXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ADOLPHUS HERMANNUS HART
POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:
O. KLOTZ, PHIL. CAND.
W. KUEHNE, PHIL. CAND.
H. PRUTZ, PHIL. CAND.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

GUILELMO GILOW

A CONSIL. URBAN. BEROL.

REVERENTIAE SIGNUM.

I.

Expeditionem Argonautarum, quam antiquissimis epicis carminibus celebratam esse Odysseae illud μ 70 Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα παρ' Αἰήταο πλέουσα testatur (cf. Nitzsch beitraege z. gesch. der epischen poes. Lpz. 1862. p. 147 et Strabonem I, 46*c*) usque ad extremam graecarum litterarum aetatem cuiusvis generis scriptores, in primis poetae novis semper modis exornaverunt, itaque summam narrationum diversitatem pepererunt: quod praecipue in reditum Argonautarum cadere ex conspectu variarum de ea re opinionum, quem scholiasta ad locum Apollonii Δ 284 tradit, apparet.

Apollonius autem Rhodius exquisitioris ut solet doctrinae splendorem prae se ferens per Istrum fluvium, quem immenso cursu per incognitas regiones delapsum pontum Euxinum cum mari Graeco coniungere exponit, Argonautas longa ac difficili via in patriam redeuntes facit: sed in ipsa fluvii descriptione difficultas inest, quae postquam Flanginius omnium primus in v. 289 Ἰονίην ἅλα verbis offendit, varie temptata ne nunc quidem post insignes curas a Rudolpho Merkelio in hoc scriptore collocatas sublata videtur: itaque in ipsa

fronte harum quaestionum locum cum aliorum recta explicatione arcte coniunctum pono hunce (v. 289 sq.):

ἔνθα διχῇ τὸ μὲν ἔνθα μετ᾽ Ἰονίην ἅλα βάλλει
τῇδ᾽ ὕδωρ, τὸ δ᾽ ὄπισθε βαθὺν διὰ κόλπον ἵησιν
σχιζόμενος πόντου Τρινακρίου εἰσανέχοντα
γαίῃ ὃς ὑμετέρῃ παρακέκλιται εἰ ἐτεὸν δὴ
ὑμετέρης γαίης Ἀχελώιος ἐξανίησιν.

Istri brachium quod postremum describitur ubi situm sit quominus dubitetur, Argi Phrixi filii — is enim loquitur — argumentatio impedit satis accurata et in qua statim Apollonium magis hominem operosae doctrinae quam poetam agnoscas: est autem haec: ***alterum Istri brachium per profundum et in continentem longe proiectum maris Trinacrii sinum aquam mittit: isque vestrae terrae adiacet, si quidem Achelous*** (quem in illud mare se proicere compertum habeo) *e vestra terra erumpit.* maris autem Trinacrii vel Ionii sinus ipsum mare Adriaticum est, quod scriptores non semper proprio nomine a mari Ionio seiungunt.

de quo si hoc loco, in iis quae antecedunt de mari Orientis quodam, de quo fere omnes consentiunt, agatur necesse est: Tyrrheni maris ab Occidente Italiae siti mentionem ab hoc loco omnino excludi vix commemorandum esset, nisi huc inferre conatus esset Zsishman Tergestanus in libello scholastico (die Isterfahrt im griechischen sagenkreise 1852 p. 11 sq.), quo tria ostia a poeta accipi evincere studet, duo eo loco quem supra exscripsimus (v. 289 sq.) allata a tertio in pontum Euxinum procumbente distinguens, de quo demum v. 303 sq. agi sibi persuasit: sed incredibile est, quam

leviter vir doctus in loco nostro explicando egerit, quanta neglegentia mare Graeciae oras alluens cum Tyrrheno confuderit.

Item Ukertus (geogr. graec. II 2, 45) de tribus quae poeta statuerit brachiis confidenter agit: is scholiastae, ni fallor, explicatione deceptus: *καὶ τὸ μὲν εἰς τὴν καθ᾽ ἡμᾶς θάλασσαν ἐκβάλλειν ῥεῖθρον, τὸ δὲ εἰς τὴν Ποντικὴν θάλασσαν ἐκπίπτειν, τὸ δὲ εἰς τὸν Ἀδριατικὸν κόλπον* (p. 498, 12 Keil). cui cum neque eiusdem scholii verba (ib. 35) *σχίζεται εἰς δύο καὶ τὸ μὲν αὐτοῦ εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον βάλλει τὸ δὲ ἕτερον εἰς τὴν Τυρρηνικὴν θάλασσαν*, nec verba poetae, quae oratione obliqua accurate exprimi videntur, satis conveniant, verba *εἰς τὴν καθ᾽ ἡμᾶς θάλασσαν ἐκβάλλειν ῥεῖθρον τὸ δὲ* — uncis includere non dubito: quamquam si — *τὸ δὲ εἰς τὸν Ἀδριατικὸν κόλπον* — verba eicere malueris, nisi quod ordo, quo poetae oratio procedit, tum minus bene servatus videtur, non obloquar: satis est demonstrasse interpretationem illam non ex commentariis virorum doctorum, e quibus scholia conflata esse scimus, fluxisse sed ei deberi, qui cum hoc scholiorum corpus quo utimur parum critica ratione consarcinaret, non omnia commissurae vestigia delevit. velut hic locutionibus: *τὸ Ἀδριατικὸν* et *ἡ καθ᾽ ἡμᾶς θάλασσα* diversa maria significari se putasse utraque appellatione in epitomen recepta ostendit.

Ac tamen nomina tantum diversa eiusdem rei eas esse primae personae pronominis (*ἡμᾶς ἡμέτερον* sc.) usus saepius in scholiis eodem conexu recurrens demonstrat: nam et in ipso hoc scholio identidem (l. 20, 23 K.)

et praeterea (velut 460, 31) procul dubio Graecus commentator pronomen illud de re ad Graecos pertinente (h. l. de mari Graeciae vicino) usurpavit.

Errorem latius pervagatum esse scholia Parisina ostendunt: quibus (ad v. 294) Apollonii quam existimant sententia novandi studio excusatur: quae nota in antiquiore recensione scholiorum Laurentianorum omittitur: ea enim est Parisinorum natura, ut quae in Laurentianis aut mutila sunt aut difficiliora ea suo modo et suppleant et interpretentur.

Alterum Istri brachium in mare Argo loquenti propius quam alterum quod descripsimus effluere versus

τῇ δ' ὕδωρ, τὸ δ' ὄπισθε βαθὺν διὰ κόλπον ἵησιν

docet: quod ipsum pontum Euxinum esse Merkelius quoque cum concedat, librorum scriptura *Ἰονίην* servata ad *B* 745 Ionium mare partem ponti Euxini ad occasum vergentem esse contendit. quam eodem nomine significari sibi persuasit *Δ* 308, apud Ammianum Marcellinum XXII 8, 13 et ex sua quidem coniectura *B* 745.

Sed primo loco, qui iam Eduardum Gerhardum olim (lect. Apoll. p. 81) fefellit, mare Adriaticum intellegendum est. Colchorum enim Argonautas insequentium altera pars per Calon Istri ostium transiit: ideoque cervice terrae antequam fugientes nave circumvehi poterant superato, prius quoque in extremum maris Ionii sinum pervenit: quem paene eadem ratione supra significavit (v. 290 s.): *κόλπον ... πόντου Τρινακρίου εἰσανέχοντα.* persequentes igitur Colchos celerius in mare Adriaticum devectos esse cum poeta narratione anticipaverit, quo modo id fieri potuerit, statim postea

(v. 309 ss.) ex duorum Istri ostiorum situ explicat, quae Peuce insula fluvio obiecta efficiantur, quorum alterum in meridiem spectans et a Colchis naviganti propius Colchos, alterum remotius et ad septentrionem vergens Argonautas excepit.

Iam confidentius cum Gerhardo l. l. negandum est, paucis ante versibus (v. 289) eodem nomine longe aliud mare significari posse, nusquam quantum scio ab aliis scriptoribus pro eo usurpato. nam locus Marcellini, alterum Merkelii fulcrum, vereor ne explicationem, quam vir doctus sibi poscit, etiam aegrius ferat. ipsa enim verba: Bospori vocitati, quod *per eos* quondam Inachi filia ad mare Ionium permeavit, mare inde effingi *inter* duas illas quasi arcus extremitates, ut est apud Marcellinum, situm per se vetant: ceterum contra scriptores, qui ante eum de hac re tradiderunt, inversum ordinem in Ius itinere describendo Marcellinum secutum esse recte monuisse video Prellerum in myth. graec. 2, 42 (ed. II).

Facilem emendationem iam Gerhardus protulit, tum tamen parum credibilem, quod versum 308 quoque eadem medela egere putabat: scripsit enim *Ἠῴην,* idemque eum secutus Merkelius, sed in loco si quis alius omnino sano *B* 745, ubi retinendum est: *Ἠοίην· κοίλη δὲ φάραγξ κατάγει μιν ἄνωθεν.* etenim Acheron quoque, de quo illic agitur, in sinum ab occidente situm effluit, qui *Ἠοῖος* vocatur: non igitur illo, sed nostro loco restituendum est:

ἔνθα διχῆ τὸ μὲν ἔνθα μετ' Ἠοίην ἄλα βάλλει

cuius vocis vestigium insuper in Guelf. cod. scriptura

ἠονἱην reperire mihi videor[1]). eadem fere significatione mare quod vocatur *Ἠοίη* apud Herodotum IV 100 recurrit, ubi de Scythis, quos antea in universum ostenderat omnem ponti Euxini oram inde ab Istro eiusque ostiis usque ad Carcinitidem urbem in angusto tractu sitam, quo Crimaea cum continente coniungitur, obtinere, haec memorat: *τὸ καθύπερθε τῶν Ταύρων καὶ τὰ πρὸς θαλάσσης ἠοίης νέμονται,* ubi *Ἠοίης* littera maiuscula scribendum videtur.

Iam ab hoc loco discederem, nisi in animo esset, scholii iam supra temptati ope Callimachi de reditu Argonautarum opinionem paullo accuratius perlustrare atque cum Apolloniana conferre. scholiasta igitur, postquam diversas scriptorum opiniones de reditu Argonautarum exposuit, Timageti, qui solus Apollonium in navigatione per Istrum effecta praeivit, Scymni, Hesiodi, eorumque sententias simplicioribus Sophoclis et Hecataei expositionibus refellit, hisce verbis pergit: *καὶ Καλλίμαχος αὐτῶν τοὺς μὲν εἰς τὸν Ἀδρίαν κ. τ. λ.* ubi Henricus Keilius post *Καλλίμαχος* vocem lacunae signum recte videtur posuisse, cum et verbum quale est: *λέγει* desideretur, et, si hoc omittas, praecipue *αὐτῶν* vox offendat, qua Colchi antea nondum commemorati significentur: ex iis enim quae praecedunt: *Σοφοκλῆς ἐν Σκυθαῖς* enunciati subiectum Parisin. schol. redactor suo more audacius quam rectius supplevit. neque tamen lacunae tantum ambitum esse putaverim,

[1]) ex eadem vocum similium confusione in archetypo Laur. cod. lectionem explicari posse puto Δ 632 *με ... νίην*, secunda manu (ex cod. Guelf. simillimo) postea expletam: *μετ' ἰονίην*.

ut auctoris quoque cuiusdam nomen exciderit, ad quem quae de divisis Colchorum agminibus referuntur pertinerent. nam praeterquam quod series scriptorum, quos scholiasta adhibere potuit, exhausta videtur, ipsi Callimacho eam sententiam vindicandam esse ex adnotatione ad v. 303 cum hac collata apparet.

Ubi postquam expositum est, Apollonium cum Callimacho in eo consensisse, ut uterque alteram Colchorum partem per Cyaneas rupes transiisse narraret: res in qua dissenserint adiectis verbis, haud tamen statim perspicuis explicatur his: *φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος ὑποστρέψαι αὐτοὺς ἐναντίως Καλλιμάχῳ.* etenim cum *ὑποστρέψαι* illud de redeuntibus Argonautis intellegi ea vetent, quae praeterea de hac Colchorum parte ex ponto Euxino egressa apud ipsum Apollonium invenimus: ad Corcyram insulam eam pervenisse (Δ 1002 sq.) neque unquam, cum Aeetae iram timeret in patriam rediisse, sed cum Phaeacibus insulam incoluisse, (ibid. v. 1211): totus locus, praesertim quod ad Apollonii v. 303:

Κόλχοι δ' αὖτ' ἄλλοι μὲν ἐτώσια μαστεύοντες

describendum appositus est, sic explicandus videtur: sed ***contra Callimachum Apollonius hanc Colchorum partem a proposito itinere aberrasse contendit*** (quippe quae hostium vestigiis amissis temere ac fortuito, cum ad Corcyram insulam appulisset, in hostes incideret): ubi incertum est, utrum *ὑποστρέψαι* deflectendi notione usurpatum scholiastae incultiore dicendi genere excusandum an potius de facili quadam emendatione (*μεταστρέψαι* vel simili) cogitandum sit.

Callimachum igitur, si quidem recte argumentati sumus, summum expeditionis discrimen in hac ipsa persequentium parte, quae per Bosporum transiit, posuisse necesse est: qua cum explicatione scholiastae verba, unde egressi sumus, (ad v. 284) egregie consentiunt, quae ad Callimachum referre iam non amplius dubito: *alteram Colchorum partem in mare Adriaticum invectam Argonautas non invenisse, alteram ad Corcyram, in qua illi quoque versarentur, profectam esse.* totum autem argumentum a Callimacho singulari carmine de Argonautarum reditu composito tractatum esse Augustus Meinekius (vindic. Strabon. p. 5, cf. add. p. 239, 247) primus rectissime docuit: luculento Strabonis (I, p. 46*c*) testimonio usus, qui eius carminis metro elegiaco compositi initium servavit hoc:

ἄρχμενος, ὡς ἥρωες ἀπ' Αἰήταο Κυταίου
αὖτις ἐς ἀρχαίην ἔπλεον Αἱμονίην.

quibus eisdem versibus Iosephus Rauchius in libro de Callimachi Aitiis conscripto (Rastatt 1860)[1] p. 6 ad Schneiderum refellendum recte usus est, qui in prolegg. ad Callim. p. 4 totum argumentum *Αἰτίων* libro alteri inserendum esse contendit: nec minus probandum videtur, quod Rauchius cum Theodoro Bergkio (anthol. lyr. p. 127) carmen de quo agimus *Ἀργοῦς οἰκισμοὶ* inscriptum fuisse contendit, si quidem Alphonsus Heckerus Suidae: (s. v. *Καλλίμ.*) *Ἄργους οἰκισμοὶ* (*οἰκισμὸς* V apud Gaisf.) recte mutavit.

Ceterum inter Apollonii et Callimachi carmina ma-

[1]) quem petenti mihi auctor liberaliter transmisit.

gnam similitudinem esse et argumento, quale supra restitui, si a minutiore illo discrimine discesseris, confirmatur et ex reliquiis, quas Bergkius l. l. collegit, cum Apollonio collatis apparebit. velut statim cum primo fragm. supra allato similem Apoll. versum *Β* 1094 conferas: . . . *ἐξ Αἴης ἐνέοντο παρ' Αἰήταο Κυταίου.*

Fragmentum, quod secundum locum obtinet, cum ad scholiastae verba (284) *τοὺς . . . μὴ εὑρεῖν τοὺς Ἀργοναύτας* — pertineat: (CCLXXVII) *μαστύος ἀλλ' ὅτ'* (sic Bergk. pro *ἀλλότ'*) *ἔκαμνον ἀλητύι* Apollonii respondet *Δ* 507 sq.. inprimis v. 516 sq.

οἳ δ' ἄρ ἐπ' Ἰλλυρικοῖο μελαμβαθέος ποταμοῖο,
τύμβος ἵν' Ἁρμονίης Κάδμοιό τε, πύργον ἔδειμαν

Callimacheis versibus cum priore fragm. arcte coniunctis similes sunt, quos Strabo I 46 (cf. V 218 Tzetzen ad Lyc. 141) servavit: (CIV)

οἱ μὲν ἐπ' Ἰλλυρικοῖο πόρου, σχάσσαντες ἐρετμά,
λᾶα παρὰ ξανθῆς Ἁρμονίης ὄφιος (*τάφιον* Bentl.)
ἄστυρον ἐκτίσσαντο, τὸ μὲν φυγάδων τις ἐνίσποι
Γραικός, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμηνε Πόλας.

Alteram autem Colchorum partem per Bosporum ad Corcyram appulisse (schol. Ap. Rh. *Δ* 284) vidimus: quo frg. CCLXXXI et CCLIII a Bergkio recte coniuncta referenda sunt:

σκέρβολα μυθήσαντο Κηκάδι σὺν γλώσσῃ

de Colchis Medeam gravissimis minis reposcentibus dicta. quo de conf. Ap. Rh. *Δ* 1006.

Discrimine illo aliquo modo soluto Colchi Aeetae poenas propter infaustum eventum veriti apud Phaeaces sedes sibi petiverunt: e quibus postea a Corinthiis ex-

pulsi ad insulam ex adverso sitam, deinde Oricum migraverunt: ut de his ipsis Callim. frg. CCLXIX dictum videatur: *οἳ καὶ Ἀμαντίνην ᾤκισαν Ὠρικίην.* (cf. Ap. Δ 1210—5.)

Sub ipsum carminis finem pertinent quae diserte Strabo l. l. affert:

Αἰγλήτην Ἀνάφην τε Λακώνιδι γείτονα Θήρῃ

ad quae Apollonius Δ 1716, et inprimis 1730 init. *Αἰγλήτην Ἀνάφης* — alludit: et versus apud eundem Strabonem citati:

Καλλίστη τὸ πάροιθε, τὸ δ' ὕστερον οὔνομα Θήρη
μητὴρ εὐίππου πατρίδος ἡμετέρης.

quos iam Bergkius recte huc retulit, cum eiusmodi Cyrenarum originis mentionem occasione oblata carmini inserere poetam Cyrenaicum ipsumque a Batto conditore genus ducentem in primis deceat. ceterum Apollonii versum 1763: *Καλλίστην ἐπὶ νῆσον· ἀμείψατο δ' οὔνομα Θήρης* leniter a priore Callimacheo deflexum esse attendas: ut iam satis indicasse mihi videar: Apollonium praeceptoris vestigia arctius quam expectaveris in hoc carmine secutum esse: quem ne a ceterorum quidem Callimachi poematum imitatione prorsus se abstinuisse scimus[1]).

Atque ex tanta duorum scriptorum similitudine fortasse non inepte puto, eam quoque rem, in qua una

[1]) cf. Merkelium prolegg. p. XLVII sq. Meinekium ad hym. in Ap. 73, 113. Iov. 34. addo *ἐξέτι κείνου* in versus clausula apud Apoll. Β 782, Δ 250, 430 simile Callimachi hym. in Ap. 47, — Γ 133 coll. hym. in Iov. 47 et ib. 134 coll. h. in Del. 324 denique v. Β 702 et Call. h. i. Ap. 21.

scholiasta nos destituit, explicari posse: qua via altera Colchorum pars apud Callimachum in mare Adriaticum pervenerit. ***suspicor enim, ipsum quoque Callimachum eundem fontem quem Apollonium secutum, Timagetum, si scholiastae fides est, Istrum in carmine suo adhibuisse:*** cuius mentio apud scholiastam nescio an cum ceteris in lacuna deperierit: quod extremis scholii saepius laudati verbis affirmare possum, quibus ut nunc quidem legitur Istri descriptio satis inutiliter iterum adicitur: neque versus Callimacheus deest, quem ad ipsum Istrum referre et similitudo cum Apolloniano de eodem fluvio Δ 287 commendat et quod scholiasta Ap. Rh. (Δ 284) in ipso Istro explicando eum citat: (CCXV)

Ῥιπαίου πέμπουσιν ἀπ' οὔρεος ἦχι μάλιστα

cui Heckerus (comm. Call. p. 133) commode adiunxit: (CLXXXVIII)

τέρπουσιν λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι.

neque vero Rauchius versus allatos (l. l. p. 50) elegiae quarti *Αἰτιῶν* libri, quam totam in cultu Delphico et in Apolline cum eo coniuncto versari optime ostendit, satis apte videtur inseruisse: neque ad alium locum eos pertinere, quo Callimachum de asinorum immolationibus egisse ex frg. CLXXXVII constat, ipsa verba, quibus pentameter a Clemente (protrept. p. 25 P.) citatur: *ὁ αὐτὸς δὲ (Καλλίμαχος) ἀλλαχοῦ· Τέρπουσι κ. τ. λ.* demonstrant.

II.

Iterum ad poetae locum supra perlustratum redeo. cum igitur supra appareret Colchos breviore itinere ex

Istro in mare Adriaticum pervenisse, Apollonius inde a versu 329 narrat Argonautas post illos in mare invectos, cum tota illa loca praeter duas Brygeidas insulas Dianae sacras ab hostibus occupata vidissent, ad alteram earum appulisse: quas ab hostibus sine praesidio relictas esse, quod illi Dianae numen violare vererentur: nam haec fere in vv. 333 sq. exponuntur:

ἐπεὶ κείνας πόλεων λίπον ἔνδοθι νήσους
αὔτως ἁζόμενοι κούρην Διός. αἱ δὲ δὴ ἄλλαι
στεινόμεναι Κόλχοισι πόρους εἴρυντο θαλάσσης.

sed v. 336 qui eos excipit:

ὣς δὲ καὶ εἰς ἄλλας (ἀητὰς) πληθὺν λίπεν
ἀγχόθι νήσους

acrius ni fallor vitium contraxit: quod iam inde suspiceris, quod eadem clausula repetitur, quae octo ante versibus legitur cuique praeterea simillima est ea, in quam v. 333 inter utrumque positus exit: ad quam suspicionem firmandam statim hoc loco quae de eiusmodi iterationibus apud Apollonium mihi in promptu sunt, ea interponerem, nisi nimis a via proposita abduceret disputatio, quae coniecturam meam de graviore textus ulcere non tam peperit quam adiuvit atque affirmavit.

Primum enim quam vetusto atque impedito vitio totus versus laboret, optimorum codicum in quinta voce (*ἀητὰς* — *ἄλλας*) discrepantia ex ipso loci difficilis emendandi studio nata ostendit: cum enim dubitari non possit, quin *ἀκτὰς* illud, quod Merkelius edidit, genuinum sit et a poeta profectum, quamvis e duobus recentissimis libris sumptum non traditae lectionis sed certae

tantum emendationis vi utatur: postquam enim de insulis satis superque dictum est, transitum ad finitimae continentis litus et facilem esse et necessarium postea ostendetur: cum igitur, dico, *ἀκτὰς* verum sit, cod. Laurentianus (*ἀητὰς*) priorem ac meliorem gradum in mendarum progressione obtinet, quod *H* et *K* facile commutari testis est Guelferbytanus *Γ* 42 pro *πλαγκτῆς* *πλαγητὴς* praebens: alter autem codex, Guelf. infelici coniectura *ἄλλας*, (quam ex eo vel certe ei simillimo codice manus recentior in Laur. quoque intulit) qua duos accusativos *ἀκτὰς* et *νήσους* non facile vel quibuslibet artificiis inter se coniungendos tollere studuit, genuinae lectionis vestigia ut saepius extinxit.

Atque in eo omnes consentiunt *νήσους* accusativum prope *ἀκτὰς* ferendum non esse: quodsi *ἀκτὰς* in archetypo fuisse diplomatica ratione evicimus, *νήσους* corruptum sit necesse est: sed quod Otto Schneiderus temptavit: *νήσων* nec — quod iam Merkelius recte monuit —, ad versum sequentem quadrat, neque hac una voce emendata locus omni difficultate eximitur. nam quis quaeso is est, de quo verbum *λίπεν* numero singulari praedicari possit, cum in iis quae antecedunt semper de Colchis et Argonautis in universum poeta agat. accedit quod *λίπεν* cum *εἰς* praepositione coniunctum neque sensum, qui unus hic aptus est: ***immittere in aliquam rem*** efficere potest, neque omnino credo relinquendi notionem cum *εἰς* praepositione apte posse consociari. ita plus una ratione *λίπεν* quoque voce labefactata cum *ἀγχόθι* quoque cum ipso vocabulo ad quod pertinet suspecta fiat neque habeat quo refe-

ratur, totam versus clausulam mecum agnoscas ex clausulis et v. 330:

δοιὰς Ἀρτέμιδος Βρυγηίδας ἀγχόθι νήσους

et v. 333:

βαῖνον· ἐπεὶ κεινὰς πόλεων λίπον ἔνδοθι νήσους

inter se collatis atque commixtis, *λίπεν* paullo deflexo, suppletam esse et interpolatam.

Sed quo maiorem corruptelam, qua in archetypo litterarum pars extinguebatur, ostendimus, eo effusius librariorum licentiam evagatam esse medelaeque spem eodem modo deminui concedere videmur. de qua ne omnino desperaremus, felici, puto, sententiarum conexus beneficio effectum est. versibus enim 398 sqq. ad orationem Iasonis pertinentibus qua Medeae iram placare eamque ad Apsyrti clandestinam mortem commovere studet,

πάντες γὰρ ὅσοι χθόνα τῆνδε νέμονται
Ἀψύρτῳ μεμάασιν ἀμυνέμεν (cf. v. 405)

ut nunc quidem legitur, *primum* de populis mare Adriaticum accolentibus agitur, qui ab Apsyrti partibus steterint: quos si in ipso hostium apparatu describendo (v. 333 ss.) omisisset poeta, iam per se mirum esset: sed ne potuisse quidem neglegere poetam eos contendo, penes quos summum pugnae discrimen esse ipse postea profert versibus, de quibus post certissimam Gerhardi emendationem non amplius ambigi potest: v. 405 ss. ... *οὐ δ᾽ ἂν ὁμῶς περιναιέται ἀντιόωσιν Κόλχοις ἦρα φέροντες ὑπὲρ σέο νόσφιν ἄνακτος Οὐ δ᾽ ἂν ἐγὼ Κόλχοις ὑποείξω μὴ πολεμίζειν.* cum igitur poeta Iasonem cum Colchis solis auxilio privatis pugnam se non detrectare eloquentem faceret, idem nonnullis versibus ante dicere non potuit: nisi dolo quodam atque caede Argonautae sese expedivissent, nimia hostium potentia inferiores eos fuisse (v. 338 ss.) — nisi in iis quae praecedunt, de potentia illa, scilicet quam Colchorum et adiacentium gentium consociata arma efficiebant, egisset.

Ac profecto in versu mutilo de illis gentibus sermonem fuisse, optime versus qui illum sequitur (337) affirmat:

μέσφα Σαλαγγῶνος ποταμοῦ καὶ Νεστίδος αἴης

quo earum fines significari videntur. ac de Salangone quidem nihil usquam traditum est, nisi quod Herodianus ad Il. *Φ* 141 de vocis accentu disserit: cuius loci in verbis ... *Σαλάγγων μέσφα Σαλάγγωνος ποταμοῦ* Callimachea verba delitescere viro eximio Meinekio (p. 121 in diatr.) non concesserim: ad nostrum locum recte puto Merkelium ea retulisse, quem ad verbum usque *ἀπόσπασμα* illud exprimit, ut non opus sit cum Meinekio *ποταμοῦ* vocem Herodiani additamentum putare. de Nestide autem terra non omnia, ut Merkelio videtur, ignorantur: neglexit enim Steph. Byz. notam s. v.: *Νέστος πόλις καὶ ποταμὸς Ἰλλυρίας. τὸ ἐθνικὸν Νέστιος ... καὶ Νεστὶς ἡ χώρα.* neglexit idem *Δ* 1215: *οὔρεα Νεσταίους τε καὶ Ὠρικὸν εἰσαφικέσθαι* ubi procul dubio eadem gens adiectivi forma apparet, cum Orici[1]) urbis maritimae satis illustris iuxta Ceraunios montes sitae nomine addito tota gens Nestaeorum accuratius defi-

[1]) cf. Callim. frg. supra allatum CCLXIX et quae ibi exposui.

finiatur. quibus si testimonia addis quae in scholiis a. h. l. Scylax et Eratosthenes geographi de eo populo memoriae tradiderunt: quorum alter inter Illyrios eum numerat, alter Illyriis a meridie ut videtur adiacentes vocat, dubium non est, quin Apollonius totum litoris tractum inde ab extremo maris Adriatici sinu usque ad Ceraunios montes his versibus significaverit: cuius regionis minorem fortasse ambitum animo sibi effinxit, quam chartae geographicae docent. quae cum ita sint, amicus, quocum rem adhuc perductam communicavi, satis probabili coniectura, quae argumento a me proposito satisfacit, ita fere poetam scripsisse ratus est:

ὡς δὲ καὶ εἶχ' ἀκτὰς πληθὺς περιναιετάουσα

qua emendatione quamvis archetypi verba non ad litteram usque restituta esse contenderim, tamen quantum fieri potuit litterarum vestigia servata sunt: εἶχ' autem forma exili praesertim propter X errori facile obnoxium semel corrupta, in mutila versus clausula ab interpolatore praecipue verbum finitum reponendum erat, ut sententia integra existeret, quod quomodo efficeret, supra demonstravi.

Superest, ut coniecturae meae de graviore corruptela, quae in versum a me restitutum irrepserit, sicut promisi, disputatione paullo copiosiore de vocibus ac versuum clausulis apud Apollonium brevi intervallo repetitis novum fulcrum administrem: cuius quaestionis fructum eo maiorem spero futurum esse, quo minus in toto dicendi genere, quo poeta usus sit, accuratius describendo ea careri potest. ac Wellauerus, ubicunque in adnotatione de hac re agit, semper diserte negat, in

eiusdem vocabuli repetitione duobus continuis versibus offendendum esse: sed vereor ne aetatum et dicendi generum discrimina, quae in hac quaestione maximi sunt momenti, parum respexerit: nam quis Homero neget eiusmodi ὁμοιοτέλευτον quod vocant fortuito excidisse, quale est in Iliadis α 192 s. (θυμὸν) aut φ 523, 5 (ἂν — ἐφ — ἔθ — ηκεν), quis offendet in Lucretianis versibus I 66, 67 in vocem: ***contra*** exeuntibus: contra Aristophanem in Eccles. v. 221—8 certo consilio novem versuum pares clausulas effecisse, non est quod moneam: similiterque de poetis Alexandrinis iudicandum erit et de Romanis, qui ex ipsa Alexandrinorum ni fallor imitatione sicut in aliis in hoc quoque severiores sibi leges imposuerunt: in hoc enim artificiosiore poesis genere nihil est quod non summo studio quaesitum atque adscitum sit, dummodo oratio ornatior et copiosior fiat: itaque ubicunque apud hos pares versuum clausulae sese excipiunt, data opera certoque quodam consilio fere id fieri confidas: atque habet profecto illa figura aliquid in se venustatis, si suum artificem invenerit: velut in Callimachi carminibus poetae vere Alexandrini omniumque facile ingeniosissimi cum Meinekio (p. 256 ss.) ὁμοιοτέλευτα in h. in Iovem 92 s. et in Apoll. 26 s. et si quae alia orationem etiam magis cumulare videntur, ut ornatum perquam aptum libenter agnoscimus et Ruhnkenium, qui in has ipsas figuras falsa poetae imagine animo concepta arte critica audacius saeviit, mirari non desinimus.

Apud Apollonium de his repetitionibus paullo cautius agendum erit: namque haec ipsa erat novae illius

poesis ratio quam cum summo praeceptoris et aequalium odio atque irrisione condere studuit, ut insuperatam carminum Homericorum simplicitatem referret: sed ut pro inexhausta illorum virtute atque ubertate opus aequabili quadam mediocritate profluens componeret, ipsius poetae indoles tali conatu multo inferior tum in primis aetatis natura vehementer contradicens effecit.

Sed quidquid de Rhodio iudicaveris: nostrum est, hanc imaginem, qua poetae dictionem modo descripsimus, singillatim perlustrare et quae ab ea abhorreant quantum possumus reicere. abest autem, quantum quidem illius aetatis sermo rhetoricae vim repellere potest, exquisitior ille ornatus, quem alacrius dicendi genus requirit: in figuris grammaticis adhibendis, in verborum collocatione, nisi quod versus necessitas insolentiora interdum extorquet, Homeri modum vix excedit: quibus animum legentis allicere poesisque exilitatem occultare studet, longe alia sunt: copia doctrinae undique conquisitae, quaestionum sive *ἀπορήσεων* grammaticarum quasi prolusio quaedam: ne multa, quidquid viri docti esse redolet, eo carmen suum quasi studiorum suorum promptuarium confersit.

Atque ex ipso simplici ac tenui dicendi genere molestarum iterationum[1]) excusationem, si qua est, tibi petas. cum enim Apollonius dicendi lenociniis et calamistris, quibus ceteri eius aetatis poetae amissum linguae vigorem reparare studebant, contemptis, aequali

[1]) quas quominus hoc loco copiosius tractem, arctis libelli finibus impedior.

temperatoque decursu res exponeret, fieri non potuit, quin oratio et copiosa fieret ac verbosa, cum insuperatum leporem ac nitorem carminum Homericorum quem affectavit non aeque breviter ac praecise referre posset et exilitate quadam laboraret, semperque in arcto eorundem verborum, structurarum, periodorum delectu versaretur: quo modo et repetitiones illae explicandae sunt et quae iis affines crebrae sententiarum iterationes aut similitudines: quarum et conspectum satis uberem Merkelius l. s. l. dedit et quomodo ex ipsorum comparatione emendatio temptanda esset, docuit: qua eadem ratione usus in *Δ* 1074:

— *ῥύεο .. παρθενικὴν .... ἐγγύθι δ' Ἄργος*
ἡμετέρης νήσοιο καὶ ἀνέρες Αἱμονιῆες·

qui locus, si memini, nondum quemquam offendit, eiusdem libri v. 509 collato (cf. 993):

Ἀργὼ καὶ Μινύας Κρονίης ἁλὸς, ἀλλ' ἀπέρυκεν
— *ἐγγύθι δ' Ἀργὼ* restitui.

neque enim de Argolide Peloponnesiaca cogitandum est, cum Argos per metonymiam pro Peloponneso, non pro tota Graecia vel ea parte, unde maxima Argonautarum pars proficiscebatur, Hellade, dici possit: quod et audacius esset et a constanti poetarum usu abhorreret: neque Argus, sive Phrixi sivi Arestoris filium, eum qui apud Apollonium navem aedificavit, intellexeris, tanta auctoritate est in expeditione, ut omnium instar commemorari possit.

Nimiae autem copiositatis quam in Apollonio argui cum permulta sint exempla, caute agendum est, ne decori ac venusti sensu decepti in poetae verbis aliquid

suspectum putemus, quod ipsa eius verbositate excusari debet: sed quidquid poetae in hoc genere concedo, versum qualem nunc restitutum video Δ 1400, ab eo profectum esse confidenter negaverim. ubi cum in cod. Laur. legatur:

δὴ τότε δὴ τῆμος ὑφ᾽ Ἡρακλῆι δαιχθείς

Merkelius post alium quendam conatum, quem ipse postea reprobavit, sub calcem prolg. CLXXVII loco latente, qui censorem ed. effugisse videtur, *δῄῳ* supplevit, Schmidtio *δ᾽ ἦτορ* reponente. sed aliis, quae contra sensum afferri possunt, omissis, manet illa particularum cumulatio, quae quantumvis maxime in iis poeta abundet, ut tota hemistichia exilibus voculis interdum composuerit, non ferenda est. nam, quod unum exemplum cum hoc comparari potest, Γ 1326 *οἱ δ᾽ εἵως μὲν δὴ* si quidem sanum esset, libentius ferrem, quam hoc nostrum, ubi tribus vocibus idem praedicatur: accedit quod *τῆμος* particulam nunquam cum alia eiusdem significationis coniunxit poeta. quare mecum scribas:

Δηιοτῆτι δὲ τῆμος ὑφ᾽ Ἡρακλῆι δαιχθείς.

vox ipsa quam restitui eadem *pugnae* significatione ac simul mero dativo Δ 338 recurrit. neque difficile est vitiorum progressionem, qua verba a poeta profecta depravata sint, exponere. cum enim in archetypo ultima *δηιοτῆτι* nominis syllaba cum parte penultimae deleta esset[1]), Laurent. librarius iis quae supererant (nam *I* et *T* facile commutantur) accurate servatis *δή τότε δὴ τῆμος* scripsit: Guelferbytanus autem interpolationem exhibuit,

[1]) alio modo idem in Laur. Δ 338 corruptum in *δηιτῆτι*.

quali eum non alienum esse scimus, qua et lacuna suppleta et molestum *τῆμος* in *κεῖνος* (= *τῆνος*) mutatum est.

III.

Lagidarum regno Alexandriae constituto cum ipsorum principum auspiciis litterarum amor atque studium excitaretur magnumque caperet incrementum, fieri non potuit, quin poetae, quibus plerumque docti apparatus in bibliotheca collecti cura mandabatur, doctrinae in qua quotidie versabantur splendorem occasione oblata vel potius arrepta in carmina sua conferrent: inter quos praecipue Apollonium omni antiquitatis studiorum generi operam navasse, ut sane dignus sit, qui docti poetae nomen sibi adsciscat, et priore commentationis parte identidem perstrinxi et si e re videretur, quavis fere carminis pagina illustrare possem: verum ceteris quae mihi in promptu sunt hoc loco omissis, tantum de poetae quadam ratione fabulas mythologicas per saecula traditas propriis curis novandi disseram. res autem haec est: nomina mythologica vel geographica, de quibus longa annorum series diversa et inter se repugnantia effinxit, difficultatum solvendarum studio ita diremit, ut personas vel locos duos pro uno efficeret: quo nisi aliis argumentis supra a me refutatum esset, pertineret, quod Merkelius de communi duorum Ioniorum marium nomine reperire sibi visus est: idem olim (diar. antiq. 1843 N. 70) de Planctis et Symplegadibus praeter iuxtaque eas commemoratis recte monuit: sed virum doctum de loco Δ 787 in ipsa hac re

versante non recte iudicasse paullo copiosiore disputatione ita ostendam, ut singulis momentis quae ad rem faciant perpensis locus suspectus subito undique quasi oppugnatus corruat atque collabatur.

ac primum exponendum est, qua de causa Apollonius, quod nemo ante eum aut post eum temptavit, Argonautas et per has et per illas rupes transvectos esse narraverit. cum igitur in Odysseae *μ* inde a v. 59 (cf. 201, 219) Planctae petrae prope Trinacriam qualemcunque insulam sitae esse dicantur, posteriores scriptores, quibus et insula illa, quam Siciliam putabant esse, et loca circa pontum Euxinum navigio periculosa innotuerunt: quaecunque apud Homerum de Trinacriae petris praedicabantur, ea igneis vorticibus, de quibus Homerus l. l. v. 68 haec profert:

κύμαθ᾽ ἁλὸς φορέουσι πυρός τ᾽ ὀλοοῖο θύελλαι

parum probabilibus remissis, ad similes Cyaneas rupes prope ponti Euxini ostium sitas transtulerunt: neque cum ex descriptione Homerica (v. 62 s.) satis appareret, qua ratione columba Jovis inter saxa abrepta esset, collisis illis id factum esse suspicati ex eadem radice qua *Πλαγκταὶ* vox utitur, nomen quod cum *σὺν* praepositione coniunctum saxorum naturam melius proderet: **Συμπληγάδες** derivaverunt: qua voce cum synonymo **Σύνδρομοι πέτραι** (cf. Pind. Pyth. IV 208. Tzetzen ad Lycophr. 1285) deinde poetae promiscue usi sunt.

ceterum ex eadem radice *πλαγ*-cui illidendi (anprallen quod nos dicimus) notio primitiva subest et *πλαγκτάς* littera gutturali geminata et *συμπληγάδες* nomen vocali ante gutturalem producta derivatum

esse, iis quae Lobeckius ad Aiacem p. 290 s. exposuit egregie affirmatur: cum enim in Sophoclis Aiace v. 598 Salamis *ἁλίπλαγκτος* dicatur, apparet epitheton ab eo, quo eandem insulam Aeschylus (Pers. 305) ornavit, *θαλασσόπληκτος*, insuper Hesychii interpretatione *πλαγχθέντες πληγέντες* subveniente omnino non discrepare. adde quod Herodotus discrimine quod vulgo inter Siculas et Cyaneas rupes statuebatur, omisso IV 85 dixit: *τὰς κυανέας καλευμένας τὰς πρότερον πλαγκτὰς Ἕλληνές φασι εἶναι*, quocum Dionysii Periegetis versus 144 s. conferendi sunt:

κυανέας ὅτι μῦθος ἀναιδέας εἰν ἁλὶ πέτρας
πλαζομένας καναχηδὸν ἐπ᾽ ἀλλήλῃσι φέρεσθαι.

et Eustathius qui utroque loco respecto haec adscripsit: *τὸ μέντοι πλαζομένας ... δίδωσι νοεῖν ὅτι δύνανται καὶ αὖται κατὰ τὰς Ὁμηρικὰς πλαγκταὶ λέγεσθαι καθὰ καὶ Ἡρόδοτος ἱστορεῖ ... εἰ καὶ ἐκληρώσαντο ἰδίως τὸ τοιοῦτο ὄνομα αἱ παρ᾽ Ὁμήρῳ Σικελικαὶ πλαγκταί.*

Apollonius autem cum neque Homeri sui auctoritatem spernere vellet, qui Argum solam deae tutela Planctas petras effugisse (v. 69) tradidit, neque nisi indoctus apparere vellet, quod vulgo narrabatur, Symplegades ex eo tempore, quo Argo per eas transvecta esset, immotas stabilesque factas esse, omittere posset, Argonautas primum (*B* 551 sq.) per Cyaneas rupes transire iussit: quibus, ut Apollonii descriptionem breviter repetamus, continuo inter se summo fragore collidentibus, mare a profundo penitus ita excitabatur atque aestuabat, ut navis tum unda ex adverso obviam ruente e mediis Symplegadibus reiceretur tum rursus ingruente

inter rupes abriperetur: vulgatam igitur opinionem secutus in eo uno deflexit, quod originis ni fallor utriusque vocis communis, quam ideo copiosius exposui, memor, de qua fortasse inter aequales disceptabatur (cf. Merk. ad v. 787), imminuta *Πληγάδες* forma semper usus est — apocope adhibita, qualis est *Δ* 688 *τελλομένου ἔτεος* pro Homerico *περιτελλομένου ἐνιαυτοῦ* cf. Meinekium analect. Alexandr. p. 97 — quod constanter certoque consilio factum esse praeter *B* 596, 645, versibus in Etym. M. s. v. *Πληγάδες* servatis demonstratur, de quorum auctore cum Tzetzes ad Lycophr. (v. 1215) quartum Apollonianum testetur, dubitari nequit: quos ex Meinekii emendatione l. l. p. 402 sq. adscribo:

οὐδ᾽ ἵπποι ὀρθρινὰ κατὰ κλισίας χρεμέθεσκον
οὐδὲ βόες πλήρεσσι κατευνάζοντο κάπῃσι
νηυσὶ δὲ πρηκτὰ κέλευθα Χελιδονίης ἀπὸ πέτρης
Πληγάδας ἀξείνους καὶ ὅπου Φινήια δόρπα et q. s.

Planctas autem Homericae descriptionis satis brevis exemplo quantum potuit servato descripsit: nam sicut in Odyssea, ab Argonautis postquam Sirenum illecebras effugerunt, ac priusquam ad Trinacriam insulam adveniunt, periculosae rupes ab altera parte conspiciuntur, cum ab altera Scylla sita sit et in mediis sed Scyllae propius Charybdis (922 sq.): atque cum Ulixes omnibus viribus id agat, ut navis Planctas praetervecta ad Scyllam dirigatur: qua via quamvis periculosa sola aliquam salutis spem relictam esse Circe praesagiverat: apud Apollonium Junonis cura tota in eo versatur, ut Scylla evitata Argo per Planctas naviget: neque hoc

sine Homeri auctoritate a poeta mutatum est, quippe qui ipsam Argonautarum navem omnium unam per Planctas salvam transiisse tradat (v. 69):

οἴη δὴ κείνη γε παρέπλω ποντοπόρος νηῦς
᾽Αργὼ πᾶσι μέλουσα παρ᾽ Αἰήταο πλέουσα.

ipsas Planctas a Plegadibus hoc fere modo subtiliter separavit: scopuli sunt, qui medio mari infixi tum aequore quod circa eos magno strepitu volvitur, obteguntur, tum unda longe refluente rursus emergunt et ad caelum usque surgere videntur: ut navis coniunctis nympharum viribus sublata et per saxa portata periculum aegre evitet (943—55): ac cum in Odysseae l. l. v. 68 terribilibus ignis vorticibus petrae circumdatae dicerentur: Apollonius eos de Vulcani fabricis interpretatus ex summis saxis flammas erupisse (925 sq.) narrat, quibus Iunonis rogatu (v. 761) extinctis (v. 775) et mare nondum refrigeratum efferbuit et caelum spisso fumo involutum est (v. 926 s.). iam ad locum, cuius gratia haec omnia disputavi, accedo (*Δ* 784 sq.). qui sicut in editionibus scriptus est:

οἶσθα μὲν, ὅσσον ἐμῇσιν ἐνὶ φρεσὶ τίεται ἥρως
(785) *Αἰσονίδης οἱ δ᾽ ἄλλοι ἀοσσητῆρες ἀέθλου,*
οἵη τέ σφ᾽ ἐσάωσα διὰ πλαγκτὰς περόωντας
πέτρας ἔνθα πυρὸς δειναὶ βρομέουσι θύελλαι,
(788) *κύματά τε σκληρῇσι περιβλύει σπιλάδεσσιν*

vix aliam explicationem admittit, quam quae a Merkelio proposita est, *πλαγκτὰς* vel *πλάγκτας* vocabulum quod praeferre videtur, de Plegadibus, quas Argonautas effugisse secundo libro expositum est, intellegendum esse.

Cui tamen interpretationi primum hoc, quod iam supra monui, obicio: poetam accuratissimum non ea neglegentia aut tanta doctrinae affectatione, de qua Merkelius cogitat, esse posse, ut discrimina quae inter Planctas et Symplegades subtilissime eum statuisse docui, nominibus subito promiscue usurpatis omnino perturbet. accedit quod cum versus 787 descriptio ad Planctas quibus ignem evomi vidimus non ad Symplegades quadret, quae versu praecedente commemorari dicuntur, Merkelio ad coniecturam si quid video infelicissimam πάρος pro πυρὸς confugiendum erat: cuius vocis natura cum praesenti tempori adiungi omnino non patiatur, *B* 1142 quo loco Merkelium olim coniecturam defendere memini:

ἀτρεκέως, δοκέω, που ἀκούετε καὶ πάρος αὐτοί

ἀκούετε imperfectum iudicandum est. praeterea ne versus quidem 788 ad Plegades aeque commode atque ad Planctas, fluctibus undique circumfusas quas vidimus, refertur. *denique*, ne certissimum dubitationis meae fulcrum omittam, *non intellego, quomodo fieri possit, ut Iuno se Iasonem per Plegades rupes salvum perduxisse praedicet:* cum (*B* 537—48) non Iuno, sed Minerva dea maris potens et quae cum diis marinis saepius coniuncta invenitur, caelo delapsa virum sibi gratum incolumem servaret: itaque locus corruptus est: quem levi medela adhibita mecum ita restituas:

οἶσθα μὲν ὅσσον ἐμῇσιν ἐνὶ φρεσὶ τίεται ἥρως
Αἰσονίδης οἵ δ' ἄλλοι ἀοσσητῆρες ἀέθλου,
οἵη κέ σφ' ἐσάωσα διὰ πλαγκτὰς περόωντας

. . . .

(789) *νῦν δὲ παρὰ Σκύλλης σκόπελον μέγαν ἠδὲ Χάρυβδιν*
δεινὸν ἐρευγομένην δέχεται ὁδός. ἀλλά σε γὰρ δὴ ..

locum fere integrum apposui, quo melius totus ordo appareret, quo Iunonis in Thetidem allocutio procedit: *quanti ego Iasonem*, inquit, *atque qui cum eo profecti sunt, faciam, tu ipsa scis: quemadmodum nunc quoque per Planctas rupes navigaturos eos servassem, nisi iam inter Scyllam Charybdimque certam perniciem eos subituros esse constaret. unde cum ego eos servare non possim, quippe cui maris imperium denegatum sit* — haec enim sententia e verbis *ἀλλά σε γὰρ δὴ* e. q. s. quibus debilis deae spes rursus erigi videtur, sponte elucet — *tota mea expectatio in te, quam ab ineunte aetate beneficiis mihi obstrictam esse scio, posita est.*

Omnia plana sunt, si pro condicionali quam vocant sententia in paraphrasi mea a vocibus: *nisi iam* — incipiente adversativam positam esse iudices, cuius anacoluthiae exempla apud Apollonium haec sunt: *Γ* 1015—19 (*δὲ*) *Δ* 338 sq. 1267 sq. 1305—8 (*ἀλλὰ*) — adde Iliadis *E* 22 et quae in Odyssea sunt omnia ni fallor collecta: *δ* 441—4, *λ* 565 sq. 630—2, *μ* 71 sq. *ξ* 32 sq. *φ* 128 sq.

IIII.

Singulare Apollonii studium fabularum quae cum sobria rerum disquisitione non satis conveniunt explanandarum simili exemplo atque priore capite exposui illustrare in animo est: cum enim scriptores, quicunque rem attigerunt, omnes Argum in Argonautarum numero habeant, qui navem ab eo ipso, ut nonnulli suspica-

bantur, appellatam aedificavit: de genere eius, ut in nomine pluribus communi par est, inter se discrepant, cum alius (cf. Valerium Flaccum I 93, 124) Thespiacum, alius velut Hyginus 14 Polybi filium, alius denique, quae vulgata opinio videtur fuisse (cf. Apollodor. I 9, 6), Phrixo natum eum perhibeat. Apollonius autem cum nullo quantum video auctore ab Argo Arestoris filio navem illustrem aedificatam esse contenderet, quem Panoptis cognomine Ius custodem fuisse vulgo ferebant: Argo, Phrixi filio, quem cum Phrixus pater in Asia vita defunctus esset in Graeciam traiectum navem aedificasse parum probabile existimavit, longe alias partes in rebus gerendis attribuit. Phrixi enim morientis iussu simul cum fratribus expeditione in Graeciam ad paternas opes recuperandas instituta gravi tempestate ad Mossynoecorum litus delatus cum Argonautis convenit: quibuscum consilio mutato in Colchidem revertitur. sed hoc misso tota quaestio in Argo Arestoride versabitur, ad quem duobus locis ab Apollonio diserte commemoratum (*A* 110, 325) Ioannes Tzetzes ad Lycophr. v. 883 his verbis respicit: *Ἀργὼ ἐκλήθη ἡ τοῦ Ἰάσονος ναῦς ἢ ὅτι κατὰ Ἀπολλώνιον Ἄργος ὁ Ἕστορος ἢ Ἀλέκτορος υἱὸς αὐτὴν ἐναυπήγησεν, ἢ ὅτι ἐν Ἄργει ἐναυπηγήθη ὡς φησὶν Ἡγήσανδρος ὁ Σαλαμίνιος.* ubi cum *Ἕστορος* contra Muellerum cuius editione utor scripserim, omnium fere codicum communem lectionem (Vit. 1 et Ciz. soli *Θέστορος*) a Sturzio primo, ceteris plaudentibus, propter Apollonianos locos expulsam restitui. Tzetzen enim ipsum, qui restituendus non corrigendus nobis est, falsae illius lectionis auctorem esse contendo, quod ipse quo-

que Laur. cod. priore loco (110) *ἄρ ἑστορίδης* praebet, cuius simillimum exemplar in Tzetzae manibus fuisse pro certo affirmaverim: nam *A* 551 duabus codicum stirpibus gravius inter se discrepantibus Tzetzes (ad Lycophr. 355) cum Laurentiani lectione: *ἔργον Ἀθηναίης Ἰτωνίδος* (Guelf. *Τριτωνίδος*) facit quam optimis insuper testimoniis adiutam Merkelius recipere debuit[1]. eiusdem, nisi minutiora spernis, duo codices ceterum corrupta lectione (ad Lycophr. 156) *περὶ πονείατο* Laurent. (*A* 752) *πεπονείατο* vestigia et (ad Lyc. 175) eiusdem lectionem (*A* 10) *ἔνερθεν* (Guelf. *ἔνερθε*) servaverunt. sicut loco Apollonii *B* 705 (ad Lyc. 417) citato Tzetzes cum meliorum codicum lectione *πετραίῃ ὑπὸ δειράδι*, ubi deteriores *πετραίης ὑπὸ δειράσι* praebent, consentit: quare si alii loci a Tzetze allati a nostris libris paullo magis recedunt, id et codicum et Tzetzae ipsius memoriter interdum citantis neglegentia effectum est.

Qua disputatione id saltem cautum est, ne quis cum Meziriaco (ad Ovidii epp. VI 65) *ἢ Ἀλέκτορος* verba quae supra adscripsi lectionem a Tzetze in praestanti aliquo codice Apolloniano inventam iudicaret: quam vel utroque loco pro *Ἀρεστορίδης* voce restituendam esse. multo autem speciosius, nullo contradicente, Godofredus Hermannus lectionem illam ex Argonauticis Orphicis sumptam esse ratus ib. v. 139 pro vulgari: *αὐτίκα δ' Ἀκτορίδης αὐτὰρ Ἀλεκτορίδης καὶ βουφάγος ἦλθε Κόρωνος* restituit: non tamen ea explicatione,

[1]) item apud Catullum Minerva in eodem carmine (LXIIII) et incola ***Itoni*** (v. 228) et ***Tritonis*** era (v. 395) appellata.

quam Benselerus in nova onomast. Papiani editione s. v. Ἀλεκτορίδης, hoc loco crassa Minerva quasi ab ipso poeta vox profecta esset apposito, protulit, Coronum ipsius Alectoris filium esse. quod si recte explicatum esset neque offenderet, quod interposita καὶ particula notiones duae Ἀλεκτορίδης et βουφάγος diversissimae coordinarentur (sit venia verbo), emendatione omnino supersedere possemus, quod Ἀλεκτορίδης Coroni — Caenei filii — patronymicum non meliore explicatione utitur, quam Ἀκτορίδης librorum consensu traditum.

Hermannus igitur, cum Argum navis aedificatorem, qui postea identidem commemoratur, in catalogo omitti aegre ferret, huic loco eius mentionem inserendam esse putavit: in quo statim offendit, quod pro nomine Argi, cui primariae expeditionis partes tribuuntur, eo loco quo primum affertur patronymicum quod commoda interpretatione caret substitutum sit: accedit quod in catalogo, quo eos tantum qui Iasonem adiuturi ad navem accesserint, enumerari ex v. 232 apparet, ut neque Iasonem neque Orpheum in eo invenias, Argo facile caremus, qui cum navem aedificaverit advenientibusque instruxerit, cum duobus illis inter expeditionis auctores habendus est.

Itaque quod totius sententiae ratione quam adscripsi commendari videtur, qua cum verbis ἢ ὅτι ... ἢ ὅτι duorum auctorum discrepantes de eadem re opiniones afferantur, tertii mentio auctoris tacite[1]) interiecta

[1]) monendum est, Tzetzen Orphei Argonautica nunquam diserte citavisse.

esse vix potest, verba illa de quibus agimus pro ipsius Tzetzae coniectura habenda sunt, qui insolita Hestoridis appellatione offensus de Alectore somniavit Argis quondam imperium tenente: versus autem aut alia emendatione, aut quod satius erit — cum in αὐτίκα δὲ, non multum distante ab αὖ, qua particula v. 140 et 147 novum nomen asserit, praesertim in hoc poeta cum Hermanno offendere nolim — commoda explicatione eget: quam ex ipso Apollonio, ad quem disputatio semper regreditur, multis Argonauticorum quae sub Orphei nomine feruntur, locis expresso petam. quod ut meo iure suscipere videar, de ratione quae inter utrumque scriptorem intercedat pauca quaedam liceat praemittere. ac singulorum locorum exempla, quibus Apollonium ad verbum expressum esse apparet, iam Gerhardus l. l. p. 102—4 congessit: quae facile augeri possunt.

sed plena atque expressa imitationis quam ostendimus imago totius argumenti similitudine assumpta, quae tum aliis tum Argonautarum catalogo illustratur, demum efficietur. in quo catalogo quamvis Orphicorum auctor ordine quo Apollonius procedit mutato ac perturbato exempli sui vestigia magis condere quam ostendere studuerit: tamen apparet eum neque sine Apollonii exemplo Argonautam attulisse neque fere quemquam ab eo allatum omisisse nisi quod duorum parium Eurytionis et Eribotis, (apud Apollon. Α 71) Meleagri et Laocoontis (ib. 191) singulos tantum: tertii paris Iphiti Clytiique Euryti filiorum (Apoll. Α 186) neutrum commemoravit: quare Ἀκτορίδης voce, altero similiter atque

Eribote et Laocoonte omisso, alterum ipsorum Eurytidarum significari suspiceris: quem cum in Iliadis *B* 620 sq.:

τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Θάλπιος ἡγησάσθην,
υἷες, ὁ μὲν Κτεάτου, ὁ δ' ἄρ' Εὐρύτου, Ἀκτορίωνε

Eurytum Actoris filium reperisset, ne in viro nullius in expeditione momenti longus esset, et ipsius et patris nomine omisso, Actoride papponymico, ipso Homero l. l. praecedente, appellare potuit: ubi hanc potissimum formam in — *ίδης* desinentem elegit, ne hic Actorides sive Clytius sive Iphitus est cum Iro confunderetur, quem Apollonii imitationis dissimulandae causa apud quem legis *A* 72:

υἷες ὁ μὲν Τελέοντος, ὁ δ' Ἴρου Ἀκτορίδαο

v. 180 Actorionem vocavit.

Atque occasione oblata de alio loco, quem a multis variis modis temptatum simili ratione ex Apollonio restituendum censeo, exponam: in Orphei enim Argonautic. verss. 169 sq.:

αὐτὰρ ἔπειτ' Ἐλάτοιο πάις Πολύφημος ἵκανεν
ὃς σφιν ἐν ἠνορέῃσι μετέπρεπεν Ἡρώεσσιν
ἠνειὸς Καινῆος ἀφίκετο, τόν ῥά τε φασὶν
μισγόμενον Λαπίθαις ὑπὸ Κενταύροισι δαμῆναι
θεινόμενον πεύκῃσι τανυφλοίοις τ' ἐλάτῃσιν . . .

v. 171 initium *ἠνειὸς* aptam explicationem nullo modo admittit: nam ne pro Argonautae cuiusdam nomine vocem accipias et inaudita forma impedit et quod particula cum priore sententia eam coniungi necesse est. itaque de emendatione et Hermannus et Heynius ad Pindari fragm. p. 147 cogitaverunt: sed Hermannus

cum *υἱωνὸς* scribi iubeat fabularum mythologicarum, quibus Polyphemus et Caeneus, Elati uterque filius, fratres exhibentur, parum rationem habet: cum Heynius qui *καὶ υἱὸς* scripsit, Coroni, Caenei filii, mentionem inferat iam supra v. 136 allati. neque quod aliquem temptare memini: *ἦ καὶ ἶς Καινῆος* quod scholiastae Apollon. nota ad *A* 157 adiuvare potuit: *τινὲς δέ φασι Καινέα συμπλεῦσαι τοῖς Ἀργοναύταις, οὐ Κόρωνον* cum Argonautarum delectu ab Orphicorum auctore habito de quo exposui consentit neque omnino apte, quod iam Hermannus animadvertit, de morte eius, quam multo post hanc expeditionem eum subiisse accipiendum est, hoc loco agitur.

Cum igitur Caenei caedes hoc loco tum tantum recte describi videatur, si ad ipsum Polyphemum, qui affertur, aliquo modo arctissime pertineat: graviorem corruptelam in *Ἠνειὸς* latere ratus, quod fortasse a librario ex v. 166 initio simillimo *Πηνειὸς* huc illatum est, locum ita fere — nam pro quaque syllaba non spoponderim — restituendum esse censeo:

αὐτὰρ ἔπειτ' Ἐλάτοιο πάις Πολύφημος ἵκανεν
ὃς πρὶν ἐν ἠνορέῃσι μετέπρεπεν Ἡρώεσσιν
ἦμος ἔτης Καινῆος ἀφίκετο τόν ῥά τε φασίν e. q. s.

Polyphemus igitur, si quidem rectam emendandi rationem ingressus sum, in ipso aetatis flore Caeneo fratri eodem patre progenito, qui prope Larissam Thessalicam, Polyphemi sedem, Gyrtonem incolebat, auxilio venit, cum ille Lapitharum dux proelio cum Centauris inito, postquam diu solus hostium impetum sustinuit, arborum mole obrutus periret.

Ac vide, quantopere et argumentum quod Orphicorum loco vindicavimus et ipsa verba cum duobus Apollonii locis congruant, quorum priore Caenei mors ratione simillima exponitur (*Α* 59—64), altero (ib. 41 sqq.) de Polyphemo agitur his versibus:

Εἰλατίδης, ὃς πρὶν μὲν ἐρισθενέων Λαπιθάων
ὁππότε Κενταύροις Λαπίθαι ἐπεθωρήσσοντο
ὁπλότερος πολέμιζε· τότ᾽ αὖ βαρύθεσκέ οἱ ἤδη
γυῖα, μένεν δ᾽ ἔτι θυμὸς ἀρήιος, ὡς τὸ πάρος περ.

Cum igitur Polyphemus quoque pugnae a Lapithis cum Centauris commissae interfuisse apud Apollonium dicatur: Orphicorum auctor ea ipsa re de Caenei morte admonitus huius narrationem statim adiunxit, quam Apollonius eo loco, quo de Corono Caenei filio agendum ei erat, tanquam episodium inseruerat.

VITA.

Adolphus Hermannus Hart natus sum postr. Non. Apr. 1842 Poelitzii, in oppidulo Pomeraniae, patre Ferdinando, viro optimo, quem sub anni praeteriti finem morte ereptum tristissime lugeo, matre Amalia e gente Gierkiana, adhuc superstite. fidei addictus sum evangelicae. in urbe patria primis litterarum elementis imbutus inde a duodecimo aetatis anno gymnasium Sedinense, quod adhuc Ill. Heydemanni auspiciis floret, frequentavi. maturitatis testimonio instructus inde a vere a. 1860 per quinque semestria Berolini, per unum Halis Saxonum litterarum philologicarum studio operam navavi: Berolini virr. Ill. Boeckh Droysen Haupt Mommsen Muellenhoff Raumer Trendelenburg, Gruppe Koepke Jordan; Halis Ill. Bergk Bernhardy Schade audivi. quibus viris omnibus optime de me meritis gratias quam maximas ago.

THESES.

1. Phaedrus a Platone iuvene conscriptus est.
2. Apollon. Rhod. *Α* 103 Guelf. cod. lectio: *Πειρίθῳ ἑσπόμενον κείνην ὁδὸν* vera.
3. Ib. *Β* 173 *λάβρον ἐπικρέμαται καὶ ἐπηρεφὲς* sensu poscitur.
4. Vergil. Georg. IIII 289 ss. solus versus 291 (et viridem — arena) spurius est.
5. Sophocl. fragm. (schol. Ap. *Δ* 223) in hunc modum restituo: *ἀλλ' ὁ μὲν Νηρῄδος*
   τέκνον Νεαίρας βλάστε τὴν δ' Εἰδυῖα πρίν
   ποτ' Ὠκεανοῦ κόρη τέκ' . . .
6. Historia litterarum inter disciplinas philologicas principatum obtinere debet.
7. Propert. V 11, 5 emendationem: *scilicet* orantem fuscae deus audiat aulae — probo.